

Theophyl.
Euchym.
Alb Magnus.

Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus. Nam cum ipsi haberent concitatos animos aduersus Dominum, tamen IESVS pauper, & indefensus stabat coram eis, & tamen manus extendere in eum non potuerunt, nisi quando ipse voluit, quod magnum diuinitatis erat signum. Sed Iudaei inuidia, & odio obcaecati non cognoscunt, sed eximiam potentiam IESVS ignorant.

88.

Ioan. 6.

Hunc scimus unde sit. Ac si dicant, nouimus Iesum, parentes, ac cognatos eius pauperes in Nazareth. Sic enim dicebant. *Nome hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem?* Supra Ioan. 6. num. 42. Sic aliquando contigit, vt magni viti ob sua natalitia minus habeantur. *Christus cum venerit.* Scilicet Messias tandiu defideratus; *Nemo scit*, praesens pro futuro, nemo sciet, vt notarunt Lucas Burgens. Cornelius a Lapide: falso enim sibi persuadebant multi Iudaei rudes, & imperiti, quod quando Christus veniret, neminem eius parentes cogniturum, sed repente ignotis progenitoribus appariturum; de quo quaest. sequenti.

Lucas Burg.
Cornel.

QUESTIO X.

Quare Iudaei dicunt, quod quando Christus venerit, nemo sciet unde sit, cum ipsi contrarium fateantur hoc eodem capite, & sermone?

89.

Chrysof.

Iniquorum
perfidia nunquam
quiescit.

NOTANDUM est in limine huius quaestionis, quod cum multi Iudaei propensi essent, vt Christum recognoscerent, ac crederent verum esse Messiam, obiecerunt Pharisei quod Principes ei non adhaerebant. *Nunquid ex principibus aliquis credit in eum?* infra num. 48. Nunc vero in praesenti, cum principes ad Christi verba flectant, eisque acquiescere videantur, cum ei nil respondeant. *Nunquid vere cognouerunt principes, quia hic est Christus?* Iudaeorum malitia non quiescit, sed contra principum sententiam, nouam, & iniquam parat rationem, vt a Christo deficiat, ne eum vt verum Deum, ac Messiam agnoscat. D. Chrysofomus homil. 49. in Ioan. *O malitiam, o pertinaciam*, ait, *non sequuntur principum sententiam, sed aliam corruptam, asserunt proprie stultitiae consentaneam.* Scimus huius, inquit, unde sit; Ecce perfidorum ingenium, quod cum in vno conuincitur, non quiescit, sed aliud subterfugium quarit.

90.

Difficultas
quaestionis.

Quaestio praesens est, quomodo quidam Ierosolymitani in praesenti dicant, quod cum Christus venerit, nemo sciet unde sit. Nempe ex quo loco, vel ex quo patre, vel matre natus sit, cum tamen hoc ipso capite. Ioan. 7. infra num. 42. fateantur. *Nonne Scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, ubi erat Dauid, venit Christus?*

91.

Euchym.

Maldonat.

Ad quaestionem responderi primo Euthymius. *Quod malitia*, ait, *non intelligit, quod sibi ipsi contradicat, ac plane mentiatur; est enim quaedam anima ebrietas.* Iudaei odio, & ira obcaecati non sibi constabant, vt accidit his, qui non ratione, sed affectu mouentur. Secundo Maldonatus existimat, quod diuersi fuerunt, qui tam diuersa testimonia de Christo protulerunt; ac proinde hi, qui dixerunt. *Nemo scit unde sit*, ignorantes

erant, nescientes scripturas; at vero qui postea dixerunt. *Ex semine Dauid, & de Bethlehem castello*, erant doctores, siquidem genus, & patriam Christi ex Scriptura probarunt.

92.

Toler.
Iansen.
Lucas Burg.
Cornel.

Tertio, multi graues Recentiores. Toletus, Iansenius, Lucas Burgensis, Cornelius a Lapide, inquit quod verba haec fuerint vulgi imperiti, qui fabellam quamdam fingebar de Christo, putabat enim quod quando Christus veniret, nomen cogniturum eius parentes, ac propinquos, se deum repente ignotis progenitoribus mundo appariturum, quare sibi persuadebat eum in Bethlehem nasciturum, ibidemque occulte latiturum, vel transferendum in longinquas regiones, ibique alendum vsque ad virilem aetatem, ac tum ex improviso in Iudaea appariturum; ad hoc inductum fuit vulgus verbis Prophetarum, qui cum de Christi diuinitate agerent, dicebant. *Gressus eius a diebus aeternitatis.* Quam diuinitatem, cum vulgus nec intelligeret, nec caperet in Christo, ideo has fabellas fabricabat.

93.

August.
Chrysof.
Theophyl.
D Thom.
Bonau.
Iai. 53.
Mich. 5.
Palm. 109.

Quarto, D. August. tract. 31. in Ioan. D. Chrysofomus homil. 49. Theophylactus, D. Thomas, D. Bonauentura & alij, quod mihi est verisimilius, dicunt, quod cum in Christo Domino sit duplex natura, Diuina, & humana; quaedam sunt testimonia in Scriptura de natura, ac generatione diuina, vt Isaias 53. num. 8. *Generationem eius quis enarrabit? Michaeas 5. n. 2. egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis.* Psalm. 109. num. 4. *ex vtero ante luciferum genui te.* Et alia sunt testimonia de natura, ac generatione humana. Ad Dauid dicitur Psalm. 131. num. 11. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Mich. 5. n. 2. *Et tu Bethlehem, & c. ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Iudaei vt pote rudes, paruuli, ac caeci, has duas naturas in Christo non agnoscebant, nec capiebant, sed tantum vt purum hominem credebant, & ideo testimonia de vtraque natura inter se confundebant, ac praemiscebant, & vt est perfidorum, ac haereticorum ingenium in suis dictis, ac verbis minime erant constantes, sed maxime fluctuantes, idque modo concedebant, iterum modo negabant; sicque dicebant: *Christus cum venerit, nemo scit unde sit.* Et infra num. 42. e contra asserunt. *De Bethlehem castello, ubi erat Dauid, venit Christus.* Et iterum modo. *Hunc scimus unde sit.* E contra vero Ioan. 9. numer. 29. *Hunc autem nescimus unde sit.* Ecce perfidi valde in constantes modo concedunt, modo negant. Vnde in praesenti ait Caetanus: *Iudaei confundentes origines, confusum habentes intellectum, sicut & confusum habebant affectum.*

Palm. 131.
Mich. 5.

Iudaei, ac Heretici modo concedunt, modo negant.

Ioan. 9.

Caictan.

94.

Iai. 6.
Iudaei replet ignorantia caligine.

Ioan. 1.

Hieron.

Videri Isaias 6. num. 4. Dominum sedentem in folio maiestatis. *Plena est omnis terra gloria eius: & domus repleta est fumo.* Si omnis terra tanto gloriae splendore illustratur, quomodo impletur fumo, & caligine? Cum Aeternum Verbum Incarnatum ad nos venit, terra nostra gloria emicuit. *Verbum caro factum est, vidimus gloriam eius.* Ioan. 1. At vero domus Israel; regnabit in domo Iacob, ob suum paruum affectum, & deprauatum intellectum densitate, ac caecitate scripturarum circumfunditur, & impletur. D. Hieronymus. *Postquam terra, ait, repleta est gloria Domini: Iudaeorum templum impletum est ignorantiae tenebris, & fumo, qui noxius est oculis.*

Ioannis 7. n. 28. Clamabat ergo IESVS in templo docens, & dicens

cens: & me scitis, & vnde sim scitis; & a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis:

Num. 29.

Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit.

Num. 30.

Quaerebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora eius.

Num. 31.

De turba multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum venerit nunc quid plura signa faciet, quam quae hic facit?

VERSIONES.

Syriacus n. 28. Et extulit Ieschua vocem suam dum doceret in templo: aitque, & me nostis, & vnde sim, nostis: & ex voluntate mei ipse non veni.

Theoph. Arius. Quem vos non nouistis. Tertull. lib. ad. Ego noui illum, qui ab ipso uersus Praesulum.

xeon. c. 22.

num. 29.

Vat ablus n. 30. Nemo autem iniicit in eum manus.

Syriacus n. 31. Num maiora signa edet his, quae iste edit?

EXPOSITIO IX.

95.

Chrysof.

Iai. 42.

August.
Beda.
Rupertus.
D. Thom.
Bonauent.
Lytan.

Chrysof.
Euchym.
Theophyl.
Maldonat.



LAMABAT ergo Iesus. Particula, ergo, illatiua est, quia Iesus quamuis longe distans sciebat, quae Ierosolymitani obiecerant. *Clamabat*: ob murmurationi tacite Iudaeorum opponitur Iesus clamor. D. Chrysofomus. *Qua secreto loquebantur, in medium adducit, aperit eos confundens.* Extollit vocem, vt feruorem sui animi indicaret, pondusque suis verbis adderet, mentesque auditorum, vt pote ad rem magni momenti excitaret. Quomodo autem dicatur clamare, cum propheta vaticinetur: *non clamabit.* Iai. 42. num. 2. explicauit tom. 3. cap. 4. quaest. 6. Et quia Ierosolymitani obiecerant. *Hunc scimus unde sit*, tanquam ex concessis argumentatur Dominus, & me scitis. Agnoscitis ex facie, & vultu; explicat D. Augustinus Beda, Rupertus, D. Thomas, D. Bonau. Lytan. idest vos dicitis me nosse secundum humanitatem, ex qua scilicet prouincia, patria, ac parentibus natus sum; agnoscebat sacratissimam Mariam matrem, & Ioseph putabatur patrem, cum reuera non esset. Iudaei Christum secundum diuinitatem ignorabant. Aliter interpretatur D. Chrysofomus, Euthym. Theophyl. Maldonat. & alij. *Me scitis*, hoc est me agnosce potestis, & debetis, quod ego sum verus Messias Dei filius, id enim vobis ostendunt

Propheta, & mea miracula. Prima expositio aptior. *A me ipso non veni.* Syriacus, ex voluntate. Explicat Christus suum verum Patrem, quem ipsi ignorant; omniaque Patri refert. A me ipso non veni in mundum ad eum illuminandum. *Sed est verus.* In suis promissis, qui vt pollicitus est, sic adimpleuit. Rom. 15. num. 8. Scilicet meus aeternus Pater, quem vos nescitis; que vos non nouistis, quod ego ab ipso sum, & ipse me misit, de quo statim.

Syriac.

Rom. 15.

96.

August.
Theophyl.

Retorquet
Christus argumentum
contra Iero-
solymitanos.

Ego scio eum. Certa, perfecta, ac comprehensua cognitione. *Qua ab ipso sum*: per diuinam, ac aeternam generationem, *filius de Patre* vt ait D. Augustin. *Et ipse me misit*, per incarnationem in mundum. Theophylactus. *Vide*, inquit, *hoc loco duas naturas in Christo manifestari: per hoc enim, quod ait, ab ipso sum, substantia diuina declaratur; cum vero ait, & ipse me misit, humana.* Retorquet Christus Dominus argumentum contra Ierosolymitanos, ipsi enim obieciebant, ne eum vt Messiam reciperent; quia dicebant supra vers. 27. *Christus cum venerit, nemo scit, unde sit.* Ipsi autem Christi parentes agnoscebant; ostenditque Iesus, quod nemo ex illis eius originem sciat, nam omnes eius diuinam, & aeternam generationem ab aeterno Parente ignorabant, sicut etiam & humanam; nam eum putabant filium Ioseph, cum non ex Ioseph, sed ex Spiritu sancto virtute Altissimi obumbrante esset formatus, & incarnatus; ac proinde cum eius origo esset tam ignota; ex eorum concessis nihil obstatat quominus in eum vt Messiam crederent.

97.

Chrysof.

Rupertus.
Cathul.
Tolet.

Quaerebant ergo eum. Ergo, illatiua praepositio est ex superioribus. *Eum apprehendere.* D. Chrysof. interrogat. *Quaerebant, quinam?* ait, *non multitudo, quae non affectabat principatum, neque capiebatur inuidia, sed sacerdotes.* Seu principes Iudaeorum. Ita Rupertus, Cathulian. Hugo, Toletus; quemquam enim comprehendere non spectabat ad priuatos, sed ad principes, ac sacerdotes; sub quibus etiam eorum sequaces intelliguntur, qui vt principibus gratificarent, non verebantur tantum facinus perpetrare. Cur tamen volebant comprehendere? Caetanus, & Toletus inquit, quia Patrem suum dicebat Deum, qui misit me, ex motiuo, quo dicebant conuerti ad fidem, inde obdurationis, ac multiplicandi sceleris argumentum sumunt. Christus vt notat Barradas in praesenti obscure aperuit Deum esse Patrem suum. Probabilior sententia Chrysofomi, qui ait Iudaeos fuisse irritatos, quia dixerat illos Deum nescire. Euthym. *Quaerebant eum apprehendere*, ait, *agre audierant dicentem, quem vos nescitis.* Nota quod quando Christus Dominus eis dixit. *Vos ex parte Diaboli estis.* Ioan. 8. num. 44. non dicitur, quod eum voluerint apprehendere, vt modo, quando nescientes appellat; sunt enim homines, qui maiori patientia sustinebunt filios diaboli dici quam ignorantes, ac inscientes vocari. *Nemo misit in illum manus.* Nam cum voluissent violentas manus iniicere, diuina virtute Iesus, vt notant Euthym. Theophylact. Albert. Magn. cohibiti sunt. *Quia nondum venerat hora eius*; tempus nempe opportunum, ac conueniens a Patre destinatum moriendi pro salute generis humani.

Caetan.
Tolet.

Bartadas.

Chrysof.

Euthym.

Ioan. 8.

Aliqui magis sustineant filios diaboli dici, quam ignorantes vocari.

Euthym.
Theoph.
Albert.

De turba. Etsi principes Christum quaerent ad mortem, tamen turba simplex, ac bona conscientiae praedita ipsum venerabatur. *Multi crediderunt in eum.* Chrysof. & alij, de imperfecta, ac cum dubitatione obsequentia verba interpretantur. Tamen cum Euangelista scribat multos cre-

98.

Chrysof.

didisse in Christum, tenendum est fide firma, & absque dubitatione credidisse. Christus cum venerit nunquid plura signa faciet? Ex suppositione; absque ulla dubitatione sunt locuti: ac si dicerent. Nunquid ille alius Christus, quem nostri principes expectant, cum venerit, plura signa faciet? Vel. Nullus Christus potest plura miracula edere, quam IESVS? Ille ergo verus est Messias. Euthymius: Id ex suppositione dixerunt; ponamus postmodum venturum esse Christum, veluti dicunt principes Sacerdotum: Christus ille, quem ipsi dicunt, cum venerit; num hoc magis admirandum erit? Nequaquam est. Idem fere docent D. Augustinus, D. Thomas, Carthusian. Caietan, & alij.

Ioan. 7. n. 32. Audierunt Pharisei turbam murmurantem de illo hac: & miserunt principes, & Pharisei ministros, vt apprehenderent eum.

Num. 33. Dixit ergo eis IESVS: adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me.

Num. 34. Queretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire.

Num. 35. Dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos: quod hic iturus est, quia non inuenimus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?

Num. 36. Quid est hic sermo, quem dixit: queretis me, & non inuenietis: vbi sum ego, vos non potestis venire?

VERSIONES.

Syriacus n. 32. Audierunt turbam loquentem.

Gracus. Pharisei miserunt, & principes sacerdotum ministros.

Theoph. Vatabl. Adhuc pusillo tempore vobiscum sum: & abeo ad eum, qui misit me.

Syriacus n. 35. Quod futurum est, vt iste proficiscatur, vt nos non inueniamus eum? Num ergo ad regiones gentium profecturus est, & docturus Ethnicos.

Arias. Nunquid in dispersionem Graecorum iturus est, & docturus Graecos.

EXPOSITIO X.

VDIERUNT Pharisei turbam obmurmurantem. Syriacus, loquentem Obmurmurare sumitur pro loqui aduersus Christi-

stum, sed pro tacite, & clanculum dicere, obmetum principum non audebant publice magna de Christo asserere Principes, qui tenebantur populum dirigere ad veritatem cognoscendam: ipsi eum remouent, & deterrent a veritate sequenda. De illo hac: Quae proximè sunt relata. Christus cum nouerit, nunquid plura signa faciet, quam hic facit: ac proinde nullus alius miraculis clarior est expectandus. Ita interpretantur Ammonius, D. Augustin. Beda, Theophylact. Rupertus, D. Bonauent. & alij, quae est germanior. Euthymius aliam adhibet expositionem. Quod turba credens in Christum aduersus Principes, & Phariseos loquebatur, quia cum viderent Christum tot miracula facientem, eum ob suam inuidiam occidere volebant, Miserunt ministros publicos, nempe satellites, non tamen vt notant Euthymius, & Caietan. eodem die, sed sequenti: Vt apprehederent eum: ait Euthym. tanquam commouentem populum ad seditionem. Principes, & Pharisei, vt ait Chrysostr. metu plebis non sunt ausi ipsi venire ad comprehendendum, sed ministros miserant, vel vt ait Maldonatus, potius Christum timuerunt, ne ab eo, vt fape alias cum magna sua coarguerentur ignominia.

Dixit ergo eis IESVS. Ministris, qui venerant ad eum comprehendendum; Chrysostr. Ego hac verba, ait, ad ministros dicta arbutor, vt eos maxime alliceret, ostendendo se aduentus eorum causam intelligere. Sicque Leontius, D. Augustin. Theophylact. Beda, Rupertus; adhuc modicum tempus. Hoc est paululum temporis. Vobiscum sum: praesens sum, pro futuro, ero. Siue velitis, siue nolitis; nam quamuis eorum voluntas esset determinata Christum occidendi, tamen tempus huius mortis non dependebat a voluntate Iudaeorum, sed a decreto Patris. Notat Albertus Magn. quod rectè Christus ait. Sum vobiscum. Nam Christus, ait, erat eum eis; ipsi verò e conuerso non erant cum Christo; nam Christus eorum salutem optabat, ipsi verò querebant eum ad mortem. Ostendit hic IESVS suam scientiam, qua eorum animos agnouit; suam potentiam, qua Iudaeis inuitis remanet inter ipsos, quandiu vult. Tertio declarat suum amorem, nam quasi dolens dicit, quod parum tempus restet, quod cum hominibus conuersetur, expendi tom. 2. cap. 24. q. 1. num. 7. Hac dicta fuerunt in festo tabernaculorum, a quo sequens Pascha, in quo mors Domini contigit sex mensibus plus, minus aberat. Vado ad eum. Cum haec dicit, vt inquit D. Chrysostr. Theophyl. D. Thomas, D. Bonauentura, Toletus, & alij, significat mortem suam sibi voluntariam esse, ac proinde quod in vanum conentur principes vi, ac violenter eum capere, & apprehendere. Vado. Hoc est sponte ibo significatque Pharisaeorum persecutiones illi non nocere, sed potius proficere, cum illis e terra transmittatur in Caelum, vt ait Euthym. Tertio terret principes, quod cum vadat ad Patrem, principum odia contra se sit Patri relaturus. D. Cyrill. in manuscripto Romano. Ascendam in Caelum, ait, vestra nequitia accusationem apud Angelos, & homines pra me ferens. Hi enim redeuntem admirabuntur, illi procedentes obuiam interrogabunt. Quid sunt plaga ista in medio manuum tuarum? Ego vero respondebo. His plagatus sum in domo dilecti mei. Zachar. 13. num. 6.

Queretis me. Dixit IESVS ministris, & etiam eorum Dominis, a quibus missi fuerat. Queretis me.

Ac si dicat. Modo magno studio me exposcitis ad interficiendum; at verò post meam mortem, cum multi ex vobis iam compuncti; & conuersi audierint meam resurrectionem, ac gloriosam Ascensionem in Caelum, meaque opera, miracula, & verba, meumque nomen viderint in toto orbe celebrari, ardentem me querent, & exoptabunt; & non inuenietis. Cum ego rediurus sim, & regnem in Caelo. Vbi ego sum. In gloria, ac regno mei Patris. Vos non potestis venire, vt me ibi inueniatis, significat per haec verba, quod quandiu homo fuerit in hac mortali, vita non potest in Caelum ascendere, vt Christum quærat, ac vt suis corporalibus oculis videat. Ait D. Thomas, quod Christus hic significauit seuerum esse hominem, ac Deum. Hominem in quantum dixit supra. Vado ad eum, qui misit me. Deum, cum ait, Vbi sum; non enim dixit, ero; quod etiam notauit D. Augustin. tract. 32. sed sum, quia vt Deus vbi que est, & vt dicitur. Ioan. 3. num. 3. Nemo ascendit in Caelum, nisi qui descendit de Caelo.

Dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos. Sibi inuicem nimirum, superbiae enim causa eum interrogare, ac ab ipso aliquid discere volebant; & cum Christi verba Iudaei non intelligerent, superabant enim illorum captum. Sic dicebant, Quo hic. Pra odio, ac contemptu, eum suo proprio nomine non expriment. Iturus est, quia non inuenimus. Crassi, ac terreni homines, nil supra terram cogitabant, ac proinde sibi persuadebant, quod in aliquem remotissimum locum esset profecturus, vt ab eis inueniri non posset. Nunquid in dispersionem gentium? seu vt alij habent; Graecorum, iturus est; in nouo enim testamento Gentes Graeci appellantur, vt aperte constat ex Paulo, qui omnes homines in Iudaeos, & Graecos diuisit. Rom. 1. num. 16. & 2. num. 9. & 3. n. 9. Iudaei enim suggilando, & exprobrando, gentiles dispersos, ac quasi toto orbe vagos vocabant, vt ait Chrysostr. cum ipsi in Iudaea essent coadunati. Deinde gentiles dicebant dispersos in varios errores, & superstitiones, cum ipsi Iudaei in vnus veri Dei cultu conspirarent. Tamen id, quod Iudaei exprobrabant gentibus; vt ait Theophylactus, id postea in illos versum est. Ipsi enim Hebraei facti sunt, dispersi; & cum dicunt in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes. Nescientes id, quod futurum erat, pronuntiarunt, vt obseruat D. Augustin. tract. 32. in Ioan. Salutem, ait, nostram praedixerunt, quod Dominus iturus esset ad dispersionem gentium, & impleturus quod legebant: Populus, quem non cognouit, seruiuit mihi. Psal. 17.

Qui tenebantur populum erudire a veritate deterrent.

Ammon. Augustin. Beda. Theophyl. Rupert. Bonauent.

Euthym. Caietan. Chrysostr. Maldonat.

100. Chrysostr.

Leontius. Augustin. Theophyl. Beda. Rupert. Alb. Maga.

Chrysostr. Theophyl. D. Thom. Bonauent. Tolet.

Euthym.

Cyrill.

Zachar. 13.

101.

Ac

Res praesens non estimatur, absens quaritur.

D. Thom. August. Ioan. 3.

102.

Rom. 1. 2. & 3. Chrysostr.

Theoph.

August. Psal. 17.

QUESTIO XI.

Quomodo sit explicanda Christi sententia: Queretis me, & non inuenietis?

103. Chrysostr.

Leontius. Euthym. Theophyl. D. Thom. Bonau.

RESPONDENT primò Chrysostr. hom. mil. 49. in Ioan. Vbi iam, ait, quaesierunt eum Iudaei? Dicit Lucas 23. num. 27. quo plangebant mulieres super eum; ita & alios multos credibile est; & statim capitis Hierosolymis, Christi, & miraculorum eius meminisse consentaneum est. Ita Leontius, Euthym. Theophylact. D. Thomas, D. Bonauent. At mulieres illae quaesierunt Christum, antequam in Caelum ascenderet, ac e vita discederet; ipse autem cum ait; vbi ego sum vos non potestis venire,

ad tempus post suam ascensionem dirigit sermonem. Capta etiam Ierusalem, ex aliqua historia non legitur Iudaeos Christum quaesiuisse, sed vsque hodie multo odio eum prosequuntur.

Secundò D. Augustin. tract. 31. in Ioan. Queretis me, & non inuenietis, ait, quia quaesierunt illum erant post resurrectionem compuncti, &c. Quod impletum est, dicit, quando post Domini Ascensionem in Caelum Petro praedicante in die Pentecostes, multi de scelere in morte Domini perpetrato dolentes, ac conuersi dixerunt ad Petrum, ac ceteros Apostolos. Viri fratres quid faciemus? Actor. 2. num. 37. Maxime Christum Dominum tantorum miraculorum operatorem, ac bonorum largitorem, quem sperauerant praesentem, quaesierunt, ac audire, & videre optarunt; sed minime inuenierunt, iam enim ipse in Caelum conscenderat. Ita D. Cyrill. Beda, D. Thomas, D. Bonauent. Iansen. & alij.

Tertio Rupertus. Queretis me, ait, ardentissima persecutione, & seruis meos occideris, &c. Cum enim post meam mortem audieritis me surrexisse, ac in Caelos gloriose ascendisse, meumque nomen maxime in toto orbe celebrari, meamque Ecclesiam per omnes gentes propagari, tunc vehementer queretis me, vt iterum me occidatis, meumque nomen omnino extinguatis; tamen non inuenietis, cum ego rediurus, ac immortalis in Caelo regnem, indeque non poteritis mihi nocere, & nomen meum opprimere, & licet meos Apostolos interficiatis, alios substitutum, qui vobis inuitis meam doctrinam praedicabunt. Subdit citatus Rupertus. Sospes ego, cum alios occideritis, alios substitutum testes meos. Hanc sententiam sequuntur Lucas Burgensis, & Cornelius à Lapide.

Quarto Caietan. Custodia, inquit, quam procurarunt poni in sepulchro, fuit querere Iesum ad retinendum corpus eius, sed non inuenierunt retinendum, quia surrexit. Aptius dicendum videbatur Iudaeos quaesiuisse Christum in sepulchro, minimeque inuenisse. Quintò Maldonatus ait, esse phrasim Hebraicam. Queretis. Idem valet, ac si me queratis in terra, postquam abiero à vobis, non inuenietis. Queretis locum eius, & non inuenietis. Psal. 36. num. 10. Sextò Toletus. Queretis me, ait, id est, verum Messiam vobis promissum: quia cum verum Messiam querit, me querit; at non inuenietis. Me enim repudiato, Messias verus inueniri non potest: & si Iudaei modo querant, & expectent Messiam, tamen nunquam alium inuenient, nisi verum Christum Iesum recipiant, & adorent, qui est verus Messias promissus in lege. Christus in praesenti de sua persona loquitur; ac proinde cum ait: Queretis me, id est me ipsum, meamque personam determinatè.

Dicam quod mihi probabilis, & secunda sententia verior, si hoc modo explicetur, vt intelligantur verba in sua germana significatione; vt Iudaei post Christi Ascensionem illum quaesierint, frequenter enim de illo loquebantur agentes de illius miraculis, operibus, ac sermonibus, & etiam illi, qui non credebant, vehementer ex illo, eum multi desiderabant, & plurimi conuertebantur. Simile est illud, quod Christus Dominus dixit suis discipulis. Venient dies, quando desideretis videre unum diem filij hominis, & non videbitis. Luc. 17. num. 22. Aitque Christus Dominus hic non solum ministris: sed etiam omnibus Iudaeis: Queretis me, & non inuenietis. Multa contentione me quaeritis

104. August.

Actor. 2.

Cyrill. Beda. D. Thom. Bonauent. Iansen.

105. Rupertus.

Lucas Burg. Cornel.

106. Caietan. Maldonat.

Psal. 36. Tolet.

107. Probabilior sententia.

Luc. 17.

Euthym. Augustin. Chrysostr. D. Thom. Carthus. Caietan.

99. Syriac.